VATICANUS VATICINANS

S I V È

DE D. PETRO APOSTOLO

O R A T I O.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

P. O. M.

N U N C U P A T A:

ET A' JOSEPHO BERRETTA

Seminarii Vaticani Alumno.

BEATISS. PATER.

CLEMENTIA illā, quam tuis dudùm insitam moribus; nupèr etiàm assumpto novæ dignitatis in nomine, pe-

ren-

rennem populorum ad utilitatem totiis penè orbis lætatur expressam, eam induxit in spem, ùt minimam quidèm ingenio, sèd maximà debentis animi reverentià parvam hanc, qualemcunque oratiunculam, eà, quà soles, benignitate non eris dedignaturus assumere. Maxima quidèm debentur maximis, àt à minimis nihil est, quod prestolemur amplissimum. Maximum habeo, quod exhibeam in PETRO, minimum tamèn est, quod à tenui dilabitur oratore. Materies igitùr, non opus pensandum, quod si hoc etiàm placuerit elibrare, in eo potiùs mentem, quàm vires exegerim consideratas. Nihil amplùm debilis eloquentia mea, nihil, inquam, dignum ostentat PONTIFICE: Hoc defuit Orationi, & in repræsentando majestas, & in dicendo suavitas. Cui verò, licèt immeritæ, si fueris patrocinatus, utrumque ùt habeat, & tua insinuabit dignitas venustatem, & quam non propinavit

vit Orator, ALBANI MONTES distillabunt dulcedinem. Age ergò, faustè recturus Ecclesiam, faustum Ecclesiæ Militantis Vaticinium, oblatum accipias, & mediteris in PETRO. VATICANUS hodiè VATICINANS, mons ùt sit in vertice Montium, TUIS inhiat MONTIBUS insinuari. O quàm clara proferentur oracula, quæ ALBANO illustrabuntur à SYDERE! Quod ego, è longè licèt, clarere cum viderim, TE DOMINUM adoraturus, quo potui, accurri cum munere. Nèc penitùs auspicor despiciendum; Vaticano quandòque cum præfueris Seminario, probatà dudùm accipies benevolentià, quod exiguum grati animi ad monumentum SANCTITATI TUÆ humillimè, post sacrorum pedum oscula, consecrat

Obsequentiss:, & addictiss: Cliens

Josephus Beretta Seminarii Vaticani Alumnus.



Imprimatur

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

D. de Zaulis Epiſc. Verulan. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Cæſar Ludovicus Saminiati Mag. & Reverendiſs. P. Fr. Paulini Bernardini Sac. Pal. Apoſt. Mag. Socius.

ORATIO.

ADSUM novi interpres oraculi ILLUSTRISS:, àc REVERENDISS: PP.; ejuſque interpres oraculi, de quo velutì univerſæ lætandum Eccleſiæ, non ſecùs èt vobis, quibus audire propiùs conceſſum eſt, gratulari teneor, & jubeor. Glorioſiſſimo Apoſtolorum de Principe hodiernâ luce in Vaticano cùm intendam differere, VATICANUS ipſe perhibetur VATICINANS. Divinantibus mehercùlè vocibus ſuperſtitioſâ etiàm ætate aſſuetus hic Mons, evangelicis non obmutuit temporibus, eòque veraciùs affatur, quò ùnus in eo PETRUS, æternâ inſtitutus à veritate, vaticinatur, & loquitur. Cineres illi, quos colitis, ſuum habent ſenſum, ſi percipiantur. Prophetarunt, & adhùc perenni Eccleſiæ de felicitate prophetant, non foliis, nòn verbo, ſed geſtis. Ea etenìm præclariſſimi hujus Apoſtoli ratio, ea in agendo eluxit conditio, ùt loqueretur, cùm ageret; cùm operaretur, doceret; adeòque Apoſtolico deſudavit in munere, ùt fundata in eo Eccleſia, quæ, & quanta futura eſſet, ſuis optimè valuerit ex operibus auſpicari. Auſpicor èt ego AA; communemque hodiernæ ſolemnitatis intèr lætitiam tanto Eccleſiæ de Principe diſſerturus, eo

ſum animo, ùt VATICANUS IN PETRO ECCLESIAM VATICINANS inſcribatur Oratio. En verò adaperta mihi, Vati potiùs, quàm Rethori, jàm jàm perhibetur cortina; taciti, precor, aſſiſtite; ſilentium exigunt, ùt percipiantur oracula.

Reſerato nobis, abdito licèt, ad veritatem aditu, primum quidèm, sèd fauſtiſſimum ad omen nomen illud objicitur, quo è Simone Cepham, ex Obediente Petram, Galilæum ad ſe primò venientem Chriſtus cum effecerit Piſcatorem, maximum aliquid ſtabili priùs Eccleſiæ de fundamento, quàm de reliquâ totius ædificii ſtructurâ inſinuat auſpicandum. Et ò quàm firmum, & inconcuſſum, quod ſolidatur in Petrâ! Felix Eccleſiæ fundamentum mutato hoc in nomine conclamat Hilarius. E Simone fit Cephas, ùt fundanda in eo Eccleſia, adeò in doctrinâ roboraretur, ſtabiliretur in Fide, ùt nèc ad hoſtiles nutaret incurſus, nèc inimicos labaret ad impetus.

Quò me tamèn ſtabili hoc, conſtantique adeò fauſtè agentem de exordio, quò me inconſtans, & mobile ad elementum nova PETRI, medioque prolata in pelago advocàtis oracula! ſilete verò, ſilete auræ; placidi tantùm ſpirate Zephiri. divinâ à requie addiſcite ò venti etiàm vos acquieſcere. Dormit èn, dormit Chriſtus; vagâ PETRI in naviculâ ea lux, quæ neſcit occaſum, clauſit luces ad quietem. O quàm vereor, nè undæ novo hoc viatore turgentes attollantur in fluctus, tantoque ùt exultent pondere, fortunatæ

huic

huic insultent naviculæ. Verùm, quæ fides infido attenditur ab elemento? Dissolutâ Aquilonum rabie, intempestiva cum jàm tempestas eruperit, quassatur navis, terrentur Apostoli, revocatur è somno Christus: Uno tamèn hujus imperio pacatę cum acquiescant procellæ, proripitur oculis, quo jàm penè doliturus illachrymabar naufragio. Lætare verò, Lætare, agitata licèt vexeris Ecclesia. Attende, quam majoribus in calamitatibus tibi PETRUS vaticinetur securitatem. Navis velutì medio consita in pelago, ingruentibus undìque hæresum cooperta fluctibus, extremam aliquandò ad internecionem allidaris in scopulos, impingaris ad syrtes. Dormiat, & in te dormiat Christus, fideique ad periculum tanta sinat urgere pericula; satìs erit unus vigilet PETRUS: Tanto siquidèm sub ductore, annuente Chrysologo, nunquàm erit naufragium; Excitato per ipsum qui dormit, ex oppugnatoribus propugnatores cum fecerit, undè magna exilivit tempestas, indè magna efficiet, ùt assurgat tranquillitas.

Versetur autèm quicunque cupit in undis; secùs stagnum Genesareth non incongruum etiàm nos deseramus, quas destitutas paritèr à piscatoribus intuemur naviculas. At ò mè quidèm excordem, qui non senserim etiàm hìc PETRUM de Ecclesiâ vaticinantem. Vaticinatur, & illis vaticinatur è navibus, quarum alteram ipsiusmet Simonis indictam prædicaturus cùm assumpserit Christus, alteram verò Moysis ex Ambro-

sio

ſio enunciatam cùm deſtituerit in littore, electam præ ſynagogâ lætor Eccleſiam, & eò feliciùs electam, quò illa terrenis inhærens operibus, littori hæret applicita: hæc autèm profunda Cœlorum Sacramenta diſcutiens altiores pelagi advocatur in partes. Ad ſumma quidèm advocatur hæc navis, eam verò in altum ùt ducat, uni tantùm imponitur PETRO; retia licèt in capturam laxare cæteris etiàm inſinuetur Apoſtolis: *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam*; ecquid hoc diſcriminis eſt AA.? Ecquæ concordi Apoſtolatûs in munere nova hæc in regendo, & ſingularis diſcordia? Accipite hierarchicum hoc in negotio Vaticinium Eccleſiæ. Hæc maxima PETRI poteſtas, hic præ cæteris principatus, & gloria. Evangelicâ in capturâ piſcatores elaborant quàm plurimi, in altitudinem verò doctrinæ unus eſt PETRUS, qui ducat: multa membra, sèd unum caput; multæ quinimò Eccleſiæ, ea verò cæterarum princeps, & Mater, quæ noſtri præcipua Sedes Apoſtoli, adeò reliquas doctrinis informatura conſtituitur Eccleſias, ùt eâ quicunque docet remotus, abducere potiùs, quàm adducere videatur ad fidem.

Abeſte verò ſpectatores quicunque adeſtis; ſagum vel potiùs induite, qui nupèr hùc conveniſtis togati, urgente armorum ſtrepitu etiàm nos excitamur ad arma, quod ſi aliquis deprehenderetur inermis, vendenda quòque præſcribitur tunica, ùt gladius comparetur ad pugnam. Accurrite, & ad hortum accurrite;

rite; imò recedite; si confluxistis. Olivarum ad montem summo pacis ab Authore fœdus summum, non certamen adsciscitur. Educto vix ense hostiles intèr acies invehitur PETRUS, iniiciendasq; Magistro resecaturus catenas Malcho abscindit auriculam, quod, qui nupèr emendum etiàm indixerat gladium, eductum posteà ad tutelam, vaginæ iterùm constituit inserendum. Ità sanè, ità est AA. Divinæ majestati in rebelles, utitur potius lenitate, quàm armis Ecclesia. Habet, quo feriat, ostentat, quo puniat, rara tamèn infigit vulnera, quæ si infixerit ad salutem, vulneratum velutì cum se humiliarit superbus, quo sauciavit ferro, unà simùl mederi edidicit, & sanare.

Cujus verò pietatis majora etiàm Vaticinia ùt percipiamus in PETRO, quò hic dudùm intendit, oculos etiàm nos intendamus. Et ò maximum, sèd clarissimum Sacramentum! Oranti aperitur Cœlum Apostolo, famelicus imò cum sitiat, vas linteo simile, quocunque animalium confertum genere propinatur ad epulas, nullamque ciborum rationem cùm insinuetur habendam, nèc à bono malum, nèc à malo bonum imponitur sejungendum: *Surge Petre, occide, & manduca*. Erumpat modò, quâ licet erumpat vesana Hæreticæ pravitatis versutia, erumpat contestatura, vèl solos ad gloriam electos, vèl quadratos virtute animos, membra velutì mysticum Ecclesiæ corpus compingere: PETRUS quidèm delineatam in se ipso cum penset Ecclesiam, sibi, & bonos, & malos tamquàm

capiti

capiti adeò recognoſcet inſertos, ùt enunciet pene à quod innuit Auguſtinus oraculum: Lilium velùt intèr ſpinas Eccleſia, & bonis, & malis permixta conſervatur, & creſcit.

Creſcit ſanè, creſcit Eccleſia, & creſcunt adhùc ampliora Eccleſiæ Vaticinia in Apoſtolo. Ah me verò illis in percipiendis infelicem, & miſerum! Uberiori dicendi in curſu clauſa jàm obmutuit cortina. Excellentiori montis hujus in apice excellentior Eccleſiæ apex nutavit ad mortem. Occubuit, & in Cruce occubuit PETRUS, quo tamèn in ſupplicio lætabundum, licèt emorientem cum ſenſerim, perceptum etiàm à Bernardo inferendum autumor Vaticinium. Nihil Eccleſiæ glorioſius, quàm Chriſti opprobrium ſufferre, & præſeferre ad coronam.

Vobis tamèn, & vobis gratulor Illuſtriſs. Flamines Vaticani, quibus templi hujus ad miniſterium ſelectis, gelido PETRI è cinere vividum Eccleſiæ militantis Vaticinium non denegatur aſſumere. Vaticinium ubì numen ſuperſtitioſa dudùm antiquitas conſtituerat, jactitatis etiàm vos, quod veracius conſulatis oraculum. Habetis illo in tumulo cumulum proſperitatis, illâ in urnâ ſortes Eccleſiæ. Veſtrum eſt haurire; veſtrum eſt perſcrutari. O quàm benè creſcentem in dies Apoſtoli hujus principatum, & gloriam cum animadvertatis in terrâ, accipitis, quod ſenſit Auguſtinus oraculum. Adhùc habet, quo creſcat Eccleſia, donèc illud adimpleatur: dominabitur à mare uſquè